



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Conciliabvlvm Pisanvm Oecumenicvm, Et Reprobatvm, contra Iulium  
papam indictum & congregatum anno Domini MDXI. tempore ipsius Iulii  
papae & Maximiliani imperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

bro 4. chronologiæ ista refert. *Concilium Gallicanum Turonense omnium episcoporum Gallie, & plurimorum doctorum tam theologie quam iuris canonici, pro rege Francia contra pontificem Romanum. In quo decretum est, ut mitterentur ad pontificem legati, qui cum eo de pace agerent; vel, si ipsos nollet audire, eum prouocarent ad conuocandum generale Concilium.* Hæc ex chronic. Franc. Eiusdem Conciliabuli mentio habetur in mandato Maximiliani imperatoris, quod recitatur infra in actis Lateranensis Concilii sessione 3.

ANNO  
CHRISTI  
1511.  
**CONCILIABVLVM PISANVM**  
**OECVMENICVM, ET REPROBATVM,**  
contra Iulium papam indictum & congregatum anno  
Dominii MDXI. tempore ipsius Iulii papæ & Maximili-  
iani imperatoris.

NOTA.

<sup>a</sup> *Conciliabulum.*] Cum Iulius pontifex iurato promisisset, se infra biennium suæ ordinationis vniuersale Concilium celebraturum, illudque iuste impeditus non præstisset, Bernardinus Caruial, Guilielmus Brissonet, Renatus de Pria, Fridericus de sancto Seuerino, ( vt constat ex sessione tertia Concilii Lateranensis ) aliique cardinales heretici & schismatici, conuenientes ut locutæ, inquit Iulius papa in bulla indictionis Concilii Lateranensis, quæ extat sessione 1. acephali aggressi sunt sine Romani pontificis auctoritate oecumenicum generale atque vniuersale Concilium conuocare, locum Concilii & tempus indicere, & valuis ecclesiæ, ac aliis publicis locis indictionem huiusmodi affigere, nosque ac venerabiles fratres nostros eiusdem sanctæ Romane ecclesiæ cardinales vocare & requirere, ut per nos vel alios ad huiusmodi eorum Concilium accedere vellemus, non formidarunt. Ne vero haec iniuste & per tyrannidem agere viderentur, afferebant, subiungens ibidem ait Iulius papa, decennium post ultimum vniuersale Concilium contra constitutionem Constantiensis Concilii iam dudum effluxisse, & nos illud conuocare neglexisse, maxime cum iurasssemus & voluisssemus illud post biennium a creatione nostra tenere, tempusque pro homine interpellare, neque credendum fore nostra auctoritate & voluntate Concilium futurum. Et cum de grauibus criminibus notoriis durantibus vniuersalem ecclesiæ scandalizantibus in capite agendum foret, ad summum pontificem Concilii congregationem non attinere, sed secundo loco ad cardinales qui pontifici in negligentia non adhaerent, conuocationem Concilii spectare. Hæc de causa indicti Conciliabuli Iulius papa in bulla ; addens eosdem ad tegendam facti sui turpidinem, omnia mandata sua sub nomine Maximiliani imperatoris & Ludouici regis Francorum promulgasse, ipsis vero regi & imperatori nihil hac de re constitisse. Præter ea quæ de ciatatis pontifice & cardinalibus quibusdam supra diximus, ad acta

Concil. Tom. 34.

Concilia-  
bulum a  
schismati-  
cis cardina-  
libus indi-  
ctum.

Contra Iu-  
lium ponti-  
ficem cur  
indixerint.

Maximi-  
lano impe-  
ratore in-  
icio ponti-  
fex voca-  
tus.

Conciliabuli spectare videntur, quæ Surius anno 1511. enarrat his verbis: *Porro cum ea temeritas ad horrendum schisma spectare videatur, Iulus pontifex datis ad eos literis monuit perbenigne, ut ad pacem & unitatem ecclesia se reciperent: alioquin fore, ut & l initus in ipsis animaduerteret. Ea admonitio tres cardinales permouit, ut cum pontifice in gratiam redire maturarent; quos pontifex liberaliter & clementer accepit: in alios, cum nollent ad sanitatem redire, grauem sane tulit sententiam, qua illorum audacia nonnihil contusa est. Sed tamen cum regis Gallorum fruerentur patrocinio, in sententia permanserunt. Monitus Gallus a pontifice, ut ne eos soueret diutius, non magnopere curauit. Itaque a pontifice excommunicatus est. Non longe aberat ab hac factione Maximilianus Casar, grauiter commotus in pontificem, quod non bona fide a se recessisset, & cum Venetiis fædus percussisset: sed vir grauis & prudens admonitus a bonis viris, se collegit, & celeriter ab hac temeritate discessit. Hæc Surius. Eadem summatim Onuphrius in vita Iulii his verbis: *Galli successu rerum elati, Cesare & cardinalibus qui a pontifice desciuerant, auctoribus, pontificem ad Concilium, quod ad Kalendas Septembbris Pisum futurum esset, citant. Papaum cum omnem operam dedisset, ut recepta Bononia, Pisanoque Concilio dimisso, pacem cum Francorum rege faceret, illumque victoria insolentem & obstinatissime recusantem animaduertisset, quo Pisum Conciliabulum tolleret, Antonii de Monte consilio Roma Laterani Concilium generale indixit, &c.* Onuphrius. Hac pseudosynodo in vniuerso regno Franciæ decimarum impositiones factas esse indicat Iulus papa in bulla 3. sessionis Concilii Lateranensis.*

*De loco Conciliabuli ista Surius: Conuenerunt aliquot episcopi ex Gallis & Insubribus. Primo Pisum, ubi cum parum tuti sibi viderentur, inde abidere Mediolanum. Verum nec ibi satis suis rebus fidentes, Lugdunum se transtulerunt, ubi etiam aliquot sessiones habita sunt. Eadem expressis verbis continentur in praedicta bulla sessionis tertiae. Onuphrius in Iulio ait, Florentinos in Concilio Lateranensi damnatos esse ideo, quod Concilio locum Pisum concessissent. Reprobatum esse conuentum schismaticorum, testantur acta Concilii Lateranensis sessione secunda & tertia; nec non bulla inductionis Iulii papæ, qua cum omnia quæ a schismaticis sibi obiiciebantur, falsa vel male accepta esse euidenter demonstrasset, simul etiam ostendit omnia acta huius Conciliabuli ipso iure nulla, adeoque merito reprobata esse. Primum, quod solius pontificis Romani sit generalia Concilia indicere. Secundo, quod trimestre tempus ad comparendum præfixum non fuerit satis longum. Tertio, quod Pisana ciuitas quatuordecim prope annorum bellis exhausta, non satis aptum vniuersalis Concilii congregandi locum præbere potuerit. Quarto denique, quod ipse verum & vniuersale Concilium apud Lateranum in vrbe habendum de fratum suorum consilio & assensu conuocauerit. Videant igitur fautores schismaticorum, qua ratione hunc conuentum malignantium defendant, atque pontificem omni plane culpa hac in re carentem incusent.*

Locus C6-  
ciliabuli.

An & cur  
fuerit re-  
probatum.

Auctor  
appendicis  
ad Gag. ta.  
xatur.